



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

IX. Vt monachus & virgo in simul non versentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## VI.

Quicumque clericus ab ostiario vsque ad sacerdotem sine tunica visus fuerit, atque turpitudinem ventris & nuditatem non tegat, & si non more Romano capilli eius tonsi sint, & vxor eius si non velato capite ambulauerit, pariter a laicis contemnentur, & ab ecclesia separentur.

## VII.

Quicumque clericus \* vssus negligentiae causa, <sup>\*forti, v. sus</sup> ad collectas mane vel vespere non occurrerit, alienus habeatur, nisi forte iugo seruitutis sit detentus.

## VIII.

Clericus si pro gentili homine fidei iussor fuerit in quacumque quantitate, & si contigerit, quod \* mirum non potest, per astutiam aliquam gentilis <sup>\*forti, moltrui</sup> ille clerico fallat rebus suis, clericus ille soluat debitum, nam si armis compugnauerit cum illo, merito extra ecclesiam computetur.

## IX.

Monachus & virgo, vnus ab hinc, & alia ab aliunde, in vno hospitio non commaneant, nec in vno curru a villa in villam discurrant, nec assidue inuicem confabulationem exercent.

## X.

Si inceptum boni operis ostenderit in psallendo, & nunc intermisit, & comam habeat, ab ecclesia excludendus, nisi statim priori se restituerit.

## XI.

Quicumque clericus ab aliquo excommunicatus fuerit, & alius eum susceperit, ambo coequali poenitentia vtantur.